



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Cancer. Ortus hominis, vel vita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

C A N C E R.
ORTUS HOMINIS, VEL VITA.
 CAP. VII.

Cancer, ex eorumdem Platoniorum sententia, ortum hominis vitamque notat, voluit enim animas per Canceri januam in humana corpora demitti, & ut Capricornum Deorum, sic Cancerum hominum portam vocant, quod per eam egredientes animæ humanam in naturam transeant.



Cancer porta hominum.

A Q U I L A.
DIVINI NUMINIS PRÆSENTIA.
 CAP. VIII.

Aquila præter ea, quæ de illa scripsit Pierius, in Sacris literis divini numinis præsentiam vel effluum quendam significat, quo ad majorem superioremque rerum divinarum cognitionem ducimur, ut Cabalisticæ tradunt unde Moses dicit. *Sicut Aquila provocans filios suos ad volandum, & super eos volans expandit alas suas, assumpsit eum, atque portavit humeris suis. Deuter. 32.*

Non ab h^o mile Pierius lib. 19. ibi, Alia cogitatio: divini enim notitia numinis aquila Hieroglyphicum Iohanni Evangelista dedit.

C R A T E R C O E L E S T I S.
O B L I V I O. CAP. IX.

Crater ille sidereus, qui ab Astronomis inter Leonem & Cancrum collocaetur, oblivionem significat, quoniam ex Platoniorum sententia animæ cum in humana corpora demittuntur, de celo per Canceri januam descendentes, per Capricornum rursus corpore soluta in cælum ascendentes, cum descendunt ex cratere illo, quem Bacchi poculum vocant, oblivionem bibunt: & sic celestium rerum obliviscuntur, sed non omnes æque, verum alii magis, prout magis minusve ex eo poculo hausere. Ex quo patet, poculum illud, oblivionis poculum esse, ejusque imagine oblivionem significari.

De Creatore Platoniorum sententia.

L Y R A.
A U D I T U S. CAP. X.

Lyra duo habens foramina incurva, aures & auditum significat, quoniam ut in Lyra fidibus illis & nervis tactis aer proximus commodus ad duo illa foramina inflectitur, & eandem in Lyra convexum, ubi quoque aer inclusus est, reflectens sonitum edit: sic vox aërem extra aures nostras commovens in aurium foramina impellit, qui in pelliculam quandam instar tympani tensam, appulsum, aërem qui intus est, naturalem movet, his autem commotus, nervos quosdam excitat, in quibus est auditus. Propter hanc ergo similitudinem Lyra auris & auditus hieroglyphicum est.

Rationem auditus Pierius ab Empedocle docet. lib. 7.

ARCUS.